

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum**

**Botsack, Johann**

**Francofurti ad Moenum, 1678**

Caput VI. De peccato

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

## CAPUT VI.

## DE PECCATO.

## ARTICVLVS I.

DE PECCATO ADAMI, ORIGINALI  
concupifcentia, deque natura peccati  
in genere.

*ADAMUS EST VERUS BARRABAS*  
& latro generis humani.

229. 1. *Ob captivacionem.* Captivus erat Barrabas, Joh. 18. v. 40. Luc. 23. v. 19. Adam quoque captus est à Serpente, peccato, morte, miseris, laqueis infernalis venatoris, 2. Cor. II. v. 3. 2. Tim. 2. v. ult. Gen. 3. v. 19. Psal. 91. v. 3. Mundus hic ipsi carcer factus est, Psal. 142. v. 9. *compedes vitæ labores,* Gen. 3. v. 19. & *miseriæ, lieto- res Satanæ & impii,* Psal. 18. v. 6. *laquei mortis præoccupaverunt me:* hi sunt tentationes Satanicæ.

2. *Ob famæ celebritatem.* Barrabas malè audiebat insignis nequitie nomine, Luc. 23. v. 25. Peccati perpetrati nomine malè audit Adam, Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem.* Ille est terrenus Adam, cujus *imaginem* gerimus, 1. Cor. 15. v. 49.

3. *Ob facinorum rationem.* Barrabas fuit

1. *Maleficus,* à perpetracione malorum ita dictus: Omnium maleficorum maximus Adam est, omnium mali fons, mali culpæ, poenæ, vitii, supplicii.

2. *Latro fuit* Barrabas, Johan. 18. v. 40. Adamus maximus latro, qui totum genus humanum in mortem peccati, animæ, corporis, miseriarum, præcepit;

egit; consensit cum latrone Satana, Joh. 8. v. 4. eique arma latronis, peccatum, mortem, velut in manus tradidit. Arma sunt, quia hæc sunt & aculeus & centrum & hasta Satanae, 1. Cor. 15. v. 55. & seq.

4. *Ob nominis allusionem.* Barrabas Patris filium notat, vel juxta Hieronymum, filium magistri. Adam verè erat filius Dei Patris imagine Dei coruscans: Erat filius magistri unici nostri, Matth. 23. v. 10. 11.

5. *Ob seditionem.* Barrabas author seditionis extiterat, Marc. 15. v. 7. Adamus verè seditionem adversus Deum concitaverat, rebellis factus, *verus Korah & Abalia*, Num. 16. 2. Chron. 23. v. 13.

6. *Ob culpa societatem.* Seditionis socios habuit Barrabas: Habet & Adamus omnes posteros culpa socios & pœnæ, Rom. 5. v. 12.

7. *Ob peccati locum.* In ipsis Hierosolymis seditionem concitavit Barrabas. Paradisus erat vera Jerusalem vel visio pacis, cujus tamen loci religio Adamum à nefando inobedientiæ scelere non cohibuit. Verè Paradisus erat domus pietatis & innocentiae; verùm Adamus hanc domum tecit speluncam latronum, allegor. Matth. 21. v. 13.

8. *Oblatrocini pœnam.* Capitur tandem latro, armatâ manu. Adamus primus in Paradiso ita captus est armatâ manu, 1. Dei vindicis. 2. Diaboli tortoris. 3. Mortis, jaculô cum vulnerantis, Rom. 5. v. 12. 1. Cor. 15. v. 55.

Hanc pœnam luit quoque Adamus secundus armatâ Judæorum manu, instar latronis obsessus, Matth. 26. v. 50.

ADAMUS EST FILIUS PRODIGUSILLE.

230. Luc. 15. v. 13. *Qui collecta patria bona abliguri-*

gurgit, in terram peccatorum longinquam illam, & à gratia Dei remotissimam, iuit, filiquis postea vitam tolerare necessum habuit. Patria bona Adami erant imago Dei, quam peccando dissipavit Adam, in terram hujus miseræ. Gen. 3. v. 19. abiit, & filiquis terrenarum curarum exsaturatus fuit. Curæ namque terrenæ veræ sunt filiquæ suis debita, nihil, nisi terrena sapientibus, Phil. 3. v. 19. Psal. 17. v. 14. Psal. 49. v. 12. Psal. 39. v. 7. Psal. 144. v. 13. 14. Hi verè sunt fues, margaritas æternorum bonorum spernentes.

## ADAMUS EST SERVUS ILLE

omnia bona Domini sui dissipans,

Matth. 18. v. 23. 24.

231. Oblatus est Domino servus, qui ei debebat decem milla talentorum.

1. *Ob bonorum commissionem.* Servus ille Adam fuit, cui bona imaginis divinæ concredidit Deus, ut ea intotam posteritatem propagarct. Rom. 5. v. 14. seq.

2. *Ob rationem v. 24.* Matth. d. l. Rationem eam instituit Deus. *Adam ubi es?* Gen. 3. v. 9.

3. *Ob debiti magnitudinem.* Hujus magnitudo debiti ex lytri magnitudine æstimanda, ipsius filii Dei sanguine, Actor. 20. v. 28. persoluti.

4. *Ob negatam solutionem v. 25.* Solvere non potuit Adamus primus: solvit ergo Adamus secundus, Psal. 69. v. 6.

5. *Ob venundationem omnium, quæ servi, v. 25.* Ita Deus venundari iussit, iusto suo iudicio Adamum sub miserias, Syr. 40. v. 12. peccatum, Rom. 7. v. 14. mortem, Rom. 5. v. 12.

## PECCATUM ADAMI.

232. Syr. 27. v. 12. *Stultus mutatur ut luna*; Talis

K 4

Ada-

Adamus, qui plenò cognitionis lumine, coruscans & divinæ iustitiæ Ephes. 4.  $\psi$ . 24. ut luna mutatus fuit, quando totalem luminis istius defectum sibi suisque accessit, 1. Cor. 2.  $\psi$ . 14. accendatur hoc lumen licet, tamen modò accrescit partialiter, modò decrescit, scientia namque nostra partialis est, 1. Cor. 13.  $\psi$ . 9. Ille defectus non potest restitui plenè, planè, nisi conjunctione lunæ (hoc est, Adami & posterorum) cum sole, hoc est, Christo, qui luce novâ nos beat, Johan. 1.  $\psi$ . 9.

### PECCATUM ADAMI PRIMI.

233. *Fratribus suis epulum paraverat in domo sua primogenitus. Job. 1.  $\psi$ . 18. sed ventus magnus è deserto domum evertit v. 19.*

1. *Ventus magnus è deserto peccatum est, quò velut vento abripimur, Esa. 64.  $\psi$ . 6. ut inutiles paleæ è conspectu Domini, Psal. 1.  $\psi$ . 4.*

2. *E deserto venit ille ventus, quia Diabolus deserta loca amat Esa. 13.  $\psi$ . 21. Luc. 11.  $\psi$ . 24. qui peccatum introduxit, Sap. 2. v. 24. domum evertit, quando Deus è sua domo, Hebr. 3.  $\psi$ . 8. expulsus per peccatum; Homo autem in Deo acquiescebat velut in templo suo; ab irato iudice oppressus est, è domo Paradisi eiectus est, Gen. 3. v. ult.*

### LAPSUS ADAMI EST DILUVIUM & excidium.

234. *Lapsus Adami primi est generale hominum diluvium, excidium Jerichunticum: ex quibus nemo, nisi qui cum Noacho & Rahab sunt, salvantur, 1. Pet. 3. vers. 21. Verus Noachus est Christus, verus ille iustitiæ præco, Rahab typus est Ecclesiæ. Quisquis ergò ex hoc diluvio salvari cupit, cum Christo, cum Ecclesia sit oportet,*

LA-

## LAPSUS ADAMI EST LEPRA.

235. *Lepra spiritalis in Giezi praefigurata ejusq; posteris.* 2. Reg. 5.  $\psi$ . 27. Ita nobis omnibus, ut Adami posteris, lepra peccati adhæret, Hebr. 12.  $\psi$ . 1. Rom. 5.  $\psi$ . 12. Eclipsis universalis quoque est peccatum, cujus culpâ nulli solem gratiæ vident, Joh. 1.  $\psi$ . 18. & 5.

## PECCATUM ADAMI.

236. *Absolon, patriam dignitatem affectans, crinibus arbori affixus hæsit, Joab tribus lanceis cor perfodit* 2. Sam. 18.  $\psi$ . 9. & 14. Ita *Adamus*, qui in initio creatus, *pacis amator* posteris esse debuit, sapientiam divinam affectavit, Gen. 3.  $\psi$ . 3. *in arbore scientiæ boni & mali hæsit.* Infernalis Joab *tribus lanceis, intellectus cecitate,* Eph. 4. v. 24. *voluntatis inobedientiâ,* Rom. 8. v. 7. *apertius rebellione eundem perfodit,* Gal. 5.  $\psi$ . 17.

## PECCATUM ORIGINALE

est lutum.

237. 1. *Ratione laboriositatis.* Luto implicitus non facile se extricat; ita labe originali infecti magis intricamur, ut Israelitæ operibus luti in Ægypto excrebantur, sic nos peccatò immundo; Exod. 1.  $\psi$ . 14. Confer. Hebr. 12.  $\psi$ . 1.

2. *Abjectionis.* 2. Samuel. 22.  $\psi$ . 43. lutò nihil abjectius quidquam est; sic peccatum in conspectu Dei, Esa. 57. v. 20. res abjectissima & vilissima.

3. *Pollutionis.* Sus tota polluit se in volutabro luti. 2. Petr. 2.  $\psi$ . 22. Sic peccatores in originali peccato se maculant, Esa. 64.  $\psi$ . 6.

4. *Profunditatis.* In lutum demergimur. Ita in peccatum delapsi rectos figere gressus non possumus, Psal. 125. v. 5. demersi. Ex hoc profundo gemimus & clamamus, Psal. 130.  $\psi$ . 1. Rom. 7.  $\psi$ . 24.

K 5

PEC-

## PECCATUM EST GELU.

238. *Noctu deficiebam præ gelu, dicebat Jacobus, Labano serviens.* Gen. 31.  $\psi$ . 40. Diabolus est Laban ille, cui homo serviens, Rom. 6.  $\psi$ . 19. præ gelu peccati sæpè deficit, gratia Dei, ejusque spiritualis viror extinguitur in cordibus; idque fit *hujus* vitæ nocte, cum charitas sæpè congelascit, Matth. 24.  $\psi$ . 12.

## PECCATUM EST UVA

acerba.

239. Ezech. 18.  $\psi$ . 2. *Patres comederunt uvam acerbam & dentes filiorum obstuperunt.* Protoplasti patres nostri, Act. 17.  $\psi$ . 26. qui uvam peccati acerbam, Genes. 3.  $\psi$ . 19. comederunt, & non tantum posterorum dentes obstuperunt; sed & ipsorum protoplastorum, è paradiso ejectorum, Gen. 3.  $\psi$ . penult. Peccatum enim verè est uva acerba, faciens nos aquam calamitatum acerbam bibere, provocans lachrymas acerbam, Matth. 26.  $\psi$ . 75. mortem acerbam, imò angelos Dei ministros ad fletum provocans, Esa. 33.  $\psi$ . 7. *Peccatum est fons ille*

1. Amaritudine circumfluens vitiorum, Jac. 3.  $\psi$ . 11.
2. Amaritudine pœnarum: simul ac enim aquam peccati, dulcem primò bibisti, insequitur mox amarulentia pœnarum. Psal. 50. v. 21. Exod. 32. v. 34. Has aquas pœnarum indies bibimus, quia indies peccamus.

## CUPIDITAS MALA EST LA-

brusca amputanda.

240. *Putanda vinea sex annis,* Levit. 25.  $\psi$ . 3.

1. *Vinea* cor nostrum est, in quo vitis Christus plantanda Joh. 15.  $\psi$ . 1.
2. Malarum cupiditatum labruscæ evellendæ, 1. Pet. 2.  $\psi$ . 11. luxuriantes vites affectuum amputandæ, Galat. 5.

lat. 5. v. 17. hoc est, abscindere pedes, manus offendentes, debes, Matth. 5. v. 30.

3. Sex annis debet hæc putatio fieri, hoc est, sex vitæ nostræ diebus, Septimo anno non putanda vinea: Ita post sex vitæ dies non putabitur magis vinea, h. e. Sabbatho æterno ingruente palmites inutiles in ignem projicientur, Joh. 15. v. 6. Ezech. 17. v. 9. Omnis enim cura in palmitum putatione locanda quotidie est, quia putatio facit

1. *Crescere.*

2. *Virescere.*

3. *Fructum ferre.* Ita cupiditatis resistentes magis crescemus & fructus feremus, Joh. 15. v. 6. seq. virescemus, Psal. 92. v. 13.

### CONCUPISCENTIA EST

instar vulpeculæ.

241. *Vulpes parva vineam demoluntur*, Cant. 2. v. 15. capiendæ sunt: Præ suggestiones, Gen. 4. v. 7. vel mala concupiscentia sunt ejusmodi vulpeculæ, quæ cordis nostri vineam demoliri conantur, Jac. 1. v. 14. 15. ne in ea crescant palmites virtutum. Sed capiendæ sunt hæc per carnis crucifixionem & veteris hominis depositionem, malorum affectuum, vulpeculæ, Gal. 5. v. 24. Eph. 4. v. 22.

### CONCUPISCENTIA

domanda.

142. Exod. 32. v. 27. *Frater proximus occidendus erat*, cum Israelitæ aureum vitulum conflasset. Frater proximus, propria caro & concupiscentia est, quæ cum per suggestionem te ad peccatum invitat, occidenda est vel mortificanda. Peccato enim mortui debemus esse, Rom. 6. v. 2. Coloss. 3. v. 3. 1. Petr. 2. v. 24. **membra super terram mortificanda**, Coloss. 3. vers. 4. quia

quia in his concupiscentia militat, Jac. 4. v. 1. Hæc est spiritualis membrorum abscissio Matth. 5. v. 29, 30. Ita Apostolus faciebat I. Cor. 9. v. 27.

### CONCUPISCENTIA

domanda.

243. Tob. 6. v. 3, 4. *Piscis immanis Tobiam devorare conabatur, sed angeli monitu in siccum extractus expiravit:* Ita concupiscentia mala nos devorare cupit & in barathrum inferni abripere, Rom. 8. v. 13. sed angeli, verbi ministri, Mal. 2. v. 7. monent, I. Petr. 2. v. 24. ut nobis caveamus, extrahamur: Ita fiet, ut expiret, cum è corde extracta fuerit concupiscentia, per carnis subactionem.

### CONCUPISCENTIA EST

ejicienda.

244. Gen. 21. v. 10. *Ejice ancillam hanc (Hagar) & filium ejus: non erit enim filius ancille heres, cum filio meo Isaac.*

*Concupiscentia est Hagar*, ejus motus sunt Ismael: uterque expellendus, è domo cordis tui, Rom. 6. v. 12. neuter enim hæreditatem capere potest, Jac. 1. v. 14, 15.

### CONCUPISCENTIA

domanda,

245. *Foràs egressus reliquit adulteram Joseph, Gen. 39. v. 12. vestem in manibus ejus reliquit.* Talis adultera mala concupiscentia est, quæ ad quævis peccata hominem allicit & invitat, Jacob. 1. v. 14. ad spirituale adulterium. *Quotidiè pellicit domina Josephi:* quotidiè nos pellicit concupiscentia vitii. Est enim peccatum illud circumstantans, Hebr. 12. v. 1. sed relinquenda est hæc bestia & crucifigenda, Galat. 5. v. 24. id ut faciamus, foràs egredi debemus. Quomodo? mundum

dum hunc affectibus relinquendo & in celo verum politeuma quærendo.

## CARO MORTIFICANDA.

246. *Duo altaria Salomoni erant & Mofi, Alterum adibus & incensa: alterum ad animalium carnes offerendas.* Ita cor nostrum non solum precum incensum adolere debet, Psal. 141. v. 2. Apoc. 5. v. 8. sed & carnem mortificare, Col. 3. v. 5.

## CUPIDITATES RESCINDENDÆ.

247. *Toties praeincli esse jubemur, Eph. 6. v. 14. Luc. 12. v. 35.* Ergò aliquid est, quod moram injicere nobis possit ambulantes. Quid illud? maledicta cupiditas, quæ retardat ambulantes, imò planè retrahit, quia ad peccandum pellicit; At dum peccato indulgemus, non in via ambulando progredimur, sed retrogredimur. Abscinde ergò, O spiritualis peregrinator, 1. Petr. 2. v. 11. Psal. 39. v. 14. concupiscentiarum scandala, ne, dum ab his traheris, in æternum exitium detraharis. Melius enim est, ut sine pede in vitam æternam ingrediaris, quàm si utroque præditus pede filius Gehennæ efficiaris, Matth. 5. v. 30. c. 18. v. 8.

CUPIDITATES CARNALES  
refecandæ.

248. *Cadavera divisit Abraham, Gen. 15. v. 11.* Carnales cupiditates dividendæ sunt, h. e. refræmandæ, ne dividant nos & Deum, Esa. 59. v. 2. cum Deo gratum sacrificium offerre volumus: *Fugite carnales concupiscentias, 1. Petr. 2. v. 11. Rom. 13. v. 13.*

CONCUPISCENTIIS DEDITI  
excæcantur, à Christo aberrant.

249. *Sodomite impurissimi, cecitate divinitus percussi, ostium invenire non potuerunt, Genes. 19. vers. 11.*  
Tales

Tales sunt ventri servientes & omnis generis cupiditatibus indulgentes, qui tandem in sensum reprobum traduntur, Rom. i. v. 24. 28. ut spiritualiter cæci fiant, Joh. 9. v. 39. Atque hoc pacto à Christo vero ostio, Joh. 10. v. 9. aberrant, ut vitam æternam ingredi nequeant.

### CUPIDITATIBUS PINGUESCENTES spiritualiter marcescunt.

250. *Amnon deperiens Thamarem, macilentus factus est, quamvis regis filius rebus omnibus abundaret & circumfluere, 2. Sam. 13. v. 4.* Ita mundanas voluptates diligentes, spirituali pinguedine charitatis Dei destituntur. Hi perpetratis libidinibus, sicut Amnon Thamarem, easdem expellere tandem coguntur, *extremâ scelerum turpitudine compulsi, Rom. 6. v. 21.*

### CONCUPISCENTIA ILLA- queat homines.

251. *Meretrix per cancellos prospexit, ut alliceret juvenes, Prov. 7. v. 6.* Ita Christus non per cancellos, sed proximè videt, à peccato & concupiscentiis peccatores allici & præcipientes trudi in peccati carcerem, in quem venundati sunt malum facere, 1. Reg. 21. v. 20, & 25. quia laqueis Satanæ impliciti, 2. Tim. 2. v. 26. Scortum ergo illud peccati fuge.

### SEPULCHRA CONCUPISCENTIÆ dictus fuit locus

252. Num. 11. v. 34. *In quo Israelitarum divinitus percussorum corpora inhumata sunt.* Geminus hic est concupiscentiæ pravæ effectus,

1. *Mori.*
2. *Sepeliri.*

Peccato enim servientes, peccato morimur, & velut spiritualiter mortui sepelimur, in infernali To-  
phet,

phet, quod est Gehenna. Rom. 6.  $\psi$ . 21. Fugiamus ergo  
 concupiscentias. Petrus Sapphiræ dicebat, Act. 5.  $\psi$ . 9.  
*Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium,  
 & efferent te.* Dicamus & nos pedes eorum, qui Israeli-  
 tas seduxerunt, sunt adhuc præ foribus nostris. Hi sunt  
 Dæmones maligni, Joh. 8. vers. 44. gestientes animam  
 & corpus perdere, stantes præ foribus uniuscujusque  
 animæ prædam adamantes.

## ARTICVLVS II.

DE PECCATO IN SPECIE  
 ejus consequentibus  
 variis.PECCANTES A DEO  
 recedunt.

253. *Filius prodigus in longinquam abiit regionem,*  
 Luc. 15. v. 13.

1. Regio hæc status peccati est, quò longissimè à Deo  
 separamur, Esa. 59.  $\psi$ . 2. & à benedictione Dei, Psal. 109.  
 $\psi$ . 150. Prov. 15.  $\psi$ . 29. quia faciens malum non potest  
 manere coram Domino, Psal. 5.  $\psi$ . 5.

2. Regio hæc est umbra mortis & infernus, in quem  
 citato cursu peccatores properant, & in quo nil nisi pe-  
 nuria, adeò, ut ne aquæ quidem suppetat guttula,  
 Luc. 16.  $\psi$ . 24.

PECCATORES PEREGRE  
 abeunt.

254. *Idem filius prodigus peregrè profectus consum-*  
*psit omnia, posteaque fames ingruit magna.* Acolastus  
 autem ille servus factus ex libero porcos pavit, in villam  
 missus.

I. Ita

1. Ita peccatores *peregrinantur*, legem abjicientes,  
 2. *Peregrinantur* à vera Ecclesia.  
 3. *A facie divina gratia*, cui dorsum obvertunt,  
 Ezech. 8.  $\psi$ . 16.

2. *Consumit bona sua filius prodigus*: Ita peccatores  
 malum committunt, bonum amittunt, bona consumunt  
 & dissipant, hoc est, oblatam Dei gratiam spernunt.  
 2. Cor. 6.  $\psi$ . 1. 2. Psal. 95.  $\psi$ . 8.

3. Fames spiritualis ingruit, quando esurit peccator  
 justitiam, quam in se non habet. Hanc famem nemo,  
 nisi Christus, tollit, factus nobis justitia, 1. Cor. 1. v. 30.  
 2. Cor. 5.  $\psi$ . 21.

4. Ex libero servus fit; Cui enim peccator servit, ejus  
 servus est, Rom. 6.  $\psi$ . 16. Liber autem erat Christi libe-  
 ratione, qui omnes liberavit, ut ei soli serviremus, 1. Pet.  
 2.  $\psi$ . 24.

5. Villa in qua peccator servit, mundus hic est. O  
 stultam commutationem! ex domo patris suapte pro-  
 tertiviã egressus peccator, postea in squalidam hujus  
 mundi villam projectus est, ut porcos pascat. Quomo-  
 dò? Mox sequitur, alleg. 257.

### SERVIRE DIABOLO EST relinqui in exitio.

255. *Amnon violatam Thamar ejecit*, 2. Sam. 13. vers.  
 15. 16. Ita Diabolus animam, quam per peccatum vi-  
 tiavit scortando cum ea spiritualiter, Jer. 2.  $\psi$ . 20. Ezech.  
 16.  $\psi$ . 15. 16. ejecit hospitio mundi; quæ cum Thamar  
 exclamare habet opus: *Majus est hoc malum, quam  
 quod antiè fecisti*. Majus enim malum est damnari: Et  
 simulatum amorem Satanæ odium esse merum animæ  
 advertunt, in inferno torquendæ impiorum miserrimæ  
 animæ.

IDEM

## IDEM.

256. *Servus Amalecita, qui fidelem in spolianda Ci-  
clag operam Domino suo navarat, ægrotus derelictus à  
Domino suo, 1. Sam. 30. v. 13.* Talis est *Domini Satan,*  
cui cum fideliter servierint peccatores, Galat. 4. v. 9. Tit.  
3. v. 3. tandem ægroti, peccati & malæ conscientiæ mor-  
bò, relinquuntur, Psal. 18. v. 46. deficiunt in vinculis pec-  
catorum, ægroti sunt, Psal. 6. v. 3. Psal. 38. v. 6. 7.

## PECCATOR.

257. *Porcos pascit, & filiquis vescitur, ut filius ille  
prodigus: Luc. 15. v. 15. 16.* Porci sunt *Satanas* ejusque  
angeli, quos peccator pascit, tanquam spiritualiter ob-  
fessus iisdem, ut Matth. 8. v. 32. Luc. 11. v. 24. quibus pec-  
catum est pabulum. Siliquæ sunt scædæ voluptates, qui-  
bus servit peccator, Tit. 3. v. 3. Solidæ enim voluptates  
in solo Domino. Psal. 57. v. 25. seq. Carnales volupta-  
tes porcorum sunt, 2. Petr. 2. v. 22. tandem suppliciiis  
æternis mañdandorum. Jac. 5. v. 5.

## PECCATUM EST LEPRÆ

simile.

258. Significatum per lepræ purgationem, Levit. 13.  
v. 2. seq.

1. *Specierum diversitate.* Quadruplex enim lepræ  
species à medicis constituitur: Ita peccati species non  
quatuor duntaxat generum, sed innumeræ sunt; delicta  
enim quis enumeret, animadvertet? Psal. 19. v. 13. Nu-  
merum capillorum, Psal. 40. v. 13. arenas maris (Orat.  
Manass.) superant.

2. *Genere:* Lepra enim morbus est in substantia cor-  
poris, non ipsum corpus. Sic peccatum non est ipsa ho-  
minis substantia, sed inhærens morbus, inhabitans  
membra, Rom. 7. v. 20. Hebr. 12. v. 1.

L

3. Ma-

3. *Materia vel subiecto in quo.* Hoc est totum corpus: Ita peccatum totum hominem inficit; intellectum cæcitate, voluntatem rebellione, appetitum inordinatione. Ergò nihil boni in nobis est, Rom. 7. v. 18. Gen. 6. vers. 5. Esa. 1. v. 6.

4. *Effectò:* Lepra.

1. Totum corpus corrumpit.

2. Perpetuò pruritu vexat.

3. Homines ad quævis munia ineptos reddit.

4. Putrescere quasi vivos facit.

5. Facilè alios inficit; sic peccatum

1. Totum corpus & animam inficit, oculos, ut videant vanitatem, 1. Joh. 2. v. 16. os & linguam, ut loquantur vanitatem, 1. Pet. 3. v. 10. cor, ut meditetur astutiam, Psal. 21. v. 12. manus, ut aliena furentur, Jos. 7. v. 1. pedes, ut non rectè ambulent, Psal. 1. v. 1.

2. Vexat nos perpetuâ sollicitatione ad malum Hebr. 12. v. 1. pugnam perpetuam cum Spiritu exercet. Gal. 5. v. 17.

3. Peccatum quoque ineptos nos reddit ad munia quævis spiritualia. 2. Cor. 3. v. 5.

4. Vivos velut putrescere facit, cum ob peccatum corpus variis morbis obnoxium sit. Facilè quoque inficit peccatum, sicut venenum serpentis illius antiqui, Apoc. 12. v. 12.

5. *Adjunctis.* Lepra est morbus *detestabilis, excommunicabilis, incurabilis, propogari potest.* Peccatum quoque est morbus.

1. *Detestabilis* Deo & sanctis angelis, Deo enim abominatio est, quia est *avoluta* 1. Joh. 3. v. 4. Job. 15. v. 16. Angelis *tristitiam*, qualis in illos cadit, affert, sicut pœnitentia gaudium, Luc. 15. vers. 10. Iphis quoque *conversis detestabilis est*, qui peccatorum præteritorum

torum

torum pudore suffunduntur, Rom. 6. v. 21. unde oculos  
attollere nequeunt, cum publicano, Luc. 18. v. 13.

2. Peccatum quoque *excommunicabilis morbus*.  
Peccatores enim è cælo excommunicati, Apoc. 22. v. 15.  
à Deo divisi, Esa. 59. v. 2. & abire iussi in ignem, Matth.  
25. v. 41.

3. *Incurabile* quoque est, quia non, nisi sanguine  
Christi curari potest, qui aquis Jordanis, quibus *Naa-*  
*man* mundatus est, præfiguratus fuit.

4. Peccatum quoque *est propagabile* malum, sicuti  
lepra. Hoc fit per carnalem generationem, quâ ad pa-  
rentum imaginem gignimur, Psal. 51. v. 5. Job. 15. v. 14.

## PECCATORUM VESTES

laceræ.

259. Lev. 13. v. 45. *Leprosorum vestimenta dissuta*  
*erant*. Spirituales leprosi sunt peccatores, qui non tan-  
tum habent laceras vestes, ablatâ imagine Dei: Verùm  
etiam, veste carent, quia nudi sunt, Apoc. 3. v. 18. Ezech.  
16. v. 7. quam prædones infernales excurrunt, Luc. 10.  
v. 18. unde induere jubemur novum hominem creatum  
juxta Deum, Eph. 4. v. 24. Præterea laceræ vestes spiri-  
tualium leprosoꝝ notant

1. *Spiritualem animæ lacerationem*, quæ fit per pec-  
catum: Hoc enim conscientiam affligit & lacerat, ita,  
ut cor nos condemnet nostrum, 1. Joh. 3. v. 20. Hæc con-  
scientiæ laceratio oritur à feris infernalibus, Satanâ,  
ejusque ministris Psal. 18. v. 5.

2. *Spiritualem ob peccatum tristitiam*. Scissio enim  
vestium tristitiæ olim fuit indicium, Gen. 37. v. 29. & 34.  
cap. 44. v. 13. Ita spiritualiter leprosi tristes sunt ob lapsus  
suos, cum Davide, Psal. 6. v. 1. seq. cum muliere illa, Luc.  
7. v. 38. cum Manasse, Orat. Manass.

3. *Ob abominationis significationem*, Lev. 21. v. 8.

L 2

Quic-

Quicquid à fera laceratum erat, immundum censebatur: Ita ad peccati abominationem spiritualem significandam laceræ sunt quoque leproforum spiritualium vestes.

13. *Ob legis divinæ lacerationem*, Psal. 119. vers. 126. Omnis leprosus spiritualiter legem Dei laceravit: hoc crimen indicant laceræ ejus vestes.

PECCATUM EST IMMUNDITIA.

260. Rom. I. v. 24. cap. 6. v. 19. *Exhibuistis membra vestra servire immunditiæ.* Peccatum est illa immunditia

1. *Respectu Dei*, cui abominabile est, quod contemnat ejus justitiam. Hinc ipse peccator abominatio dicitur, Job. 15. v. 16.

2. *Angelorum*, qui abhorrent à peccatoribus, sicut gaudent de pœnitentibus, Luc. 15. v. 10.

3. *Ipsorum peccatorum*, quò contaminantur homines, Ose. 5. v. 3. Mal. 2. v. 11. Deitestamentum & cœdus contaminant, Psal. 55. v. 21. nomen Dei polluunt, Ezech. 20. v. 39. cap. 36. v. 20. Mal. I. v. 12. conscientiam propriam, 1. Cor. 8. v. 7. sanguinem testamenti peccando pollutum ducunt. Hebr. 10. v. 29.

4. *Proximi*, quem polluunt scandalizando.

5. *Diaboli*, Spiritus immundi, Luc. 4. v. 36. cujus voluntatem implet peccator, Joh. 8. v. 44.

6. *Originis*. Oritur enim peccatum ex immunda generatione, Job. 14. v. 4. Psal. 51. & hoc respectu maxima immunditia est.

7. *Abominationis*. Omnia immunda erant abominabilia: Ita peccatum immunditia abominabilis est, Ezech. 24. v. 13.

8. *Negata ingressionis*. *Immundum* non intrabit in

in cœlestem Hierusalem: Ita nec peccator, Apoc. 21.  
v. 8. & 27.

9. *Fœtoris.* Immunda fœtida sunt: Ita peccata fœtent coram Deo, ne capiat odorem cœtuum nostrorum, Am. 5. v. 21. quem fœtorem Christus sustulit, offerens preces, Hebr. 5. v. 7. & hostiam, Eph. 5. v. 2. bonæ fragrantia, ut Noah, Gen. 9. v. 21.

## PECCATUM EST SQUALOR.

261. Job. 40. v. 16. *Behemoth in squalore requiescere dicitur.* Peccatum est verè squalor Diaboli, in quo ipse requiescit, sicut Deus in sancta anima, Joh. 14. v. 23. Luc. 11. v. 24. Hic est squalor ille, qui malis placet, Job. 21. v. 31. non item piis, Rom. 7. penult. qui malos onerat, non ornat, Hab. 3. v. 6.

## INIQUITATES SUPRA

caput egressæ.

262. Psal. 38. v. 5. *Peccatorum nostrorum gravitas notatur,* quæ non solum cor nostrum gravant, ne possit se ad Deum elevare: sed & caput, quando ulticem Dei iram semper capitibus nostris imminere timemus. Hâc irâ ipse Dei filius pressus in cruce, capite inclinatô, mortem oppetiit. Hæc est dura peccati servitus, quâ nos Satan Pharao premit, Exod. 1. v. 11. Roman. 7. v. penult. ob quam gravis Dei manus premit, Psal. 32. v. 4. Prov. 27. v. 3. Arena gravis est; Peccata ergò, arenæ numerum superantia, longè graviora, ob iram Dei gravem, Esa. 30 v. 27. Conf. Thren. 1. v. 14. ardorem, Job. 6. v. 17. Conf. Psal. 65. v. 4. Psal. 88. v. 8. Esa. 24. v. 20.

## PROCLIVITAS AD

peccandum.

263. *Aqua facile intrat corpora, difficulter exit.* Ita peccatum facile allicit, sed non, nisi cum morte,

L 3

Jac.

Jac. 1. v. 16. exit. Facile imbibit homo, Job. 15. v. 15. *inquitatem, ut aquam.*

PECCATUM TOTAM SUBSTANTIAM  
hominis pervadit.

264. Num. 12. v. 12. *Lepra totam carnem Miriam devoravit:* Lepra spiritualis peccatum est, quæ totum hominem pervasit, *intellectum* obscurum reddendo, Eph. 4. v. 24. Joh. 1. v. 7. 1. Cor. 2. v. 14. *voluntatem* rebellem & inimicam Deo faciendo, *affectuum* motus in-compositos inducendo. Corporis *membra* omnia sentiunt lepram hanc, hinc *oculi* contra sanctum in Israel, Esa. 37. v. 23. *aures* peregrinam doctrinam gestientes, 1. Tim. 4. v. 3. *lingua* procaax ad loquendum, Jac. 1. v. 19. *os* perversum, Prov. 6. v. 12. & quistexat omnium peccatorum catalogum, Psal. 19. v. 13.

PECCATI SUBJECTUM COR.

265. *Ut chartam color penetrat, cum litera pinguiur, nec eradi possunt, nisi ipsa simul charta substantia eradatur:* Ita peccatum penetravit cordis humani substantiam, eique tenacissime inhæret, cujus radix non, nisi *cinefactio*ne, tolli potest. Hinc Jer. 17. v. 1. peccatum ungue adamantino inscriptum esse dicitur. Primus hanc *tabulam Adamus* inscripsit, Gen. 3. v. 11. *Diabolus* cute invidiae stylum acuit, Sap. 2. v. 24. *serpens* detravii, 2. Cor. 11. v. 3. *Scribunt* deinde hanc peccati tabulam parentes generando, Psal. 51. v. 7. *Concepit me mater mea in peccatis!*

PECCATUM INHÆRENS.

266. In templo *Salomonis Dominus* majestate sua habitabat, in cujus tamen parietibus *imagines* florum depictæ extabant, 1. Reg. 6. v. 29. Ita corda *nostra sunt Spiritus S.* *templa* quidem, 1. Cor. 3. v. 16. 2. Corinth. 6. cod.

cod. in quibus ille per fidem habitat, Eph. 3.  $\psi$ . 17. Attamen rerum terrenarum humi repentium velut imagines adhuc insculptæ & depictæ sunt; hæc sunt peccati reliquiæ, mala scilicet concupiscentiæ, ejusque radix. Rom. 7.  $\psi$ . penult. quotidie per peccata efflorescens.

## PECCATI EFFECTUS.

267. *Ex adverso Deo ambulare dicuntur peccatores*, Levit. 26.  $\psi$ . 27. Igitur peccare est Deo ex adverso obambulare in via, quæ non est bona, Esa. 65.  $\psi$ . 2. 3. in via perditionis, Matth. 7. v. 13. 2. *Ex adverso nobis Dominus ambulat puniens*, Esa. 63. v. 10. Jerem. 14.  $\psi$ . 9. *Ut leo*, Ose. 13. v. 8. nobis occurrens.

## PECCATUM EST SERVITUS.

268. 1. *Quis Dominus?* Dominus est princeps mundi, Joh. 12.  $\psi$ . 30. Rector tenebrarum, Eph. 6.  $\psi$ . 12. potestas, Coloss. 1.  $\psi$ . 12. Joh. 8. v. 38. 44. Dominus servo mercedem dat: Ita Satanas peccatoribus, Matth. 25. v. 46. quando ibunt cum eo in ignem æternum.

2. *Quæ Domina?* Mundus. Hinc Satanas mundi Dominus dicitur, Eph. 6. v. 12. & cap. 2. v. 2. mundus & Satanas arctissimè conjunguntur & Spiritus mundi, 1. Cor. 2. vers. 12. Ideoque mundus etiam damnabitur. 1. Cor. 11.  $\psi$ . 32.

3. *Servus fallacissima*: cum enim piam mercedem servi peccati se accepturos arbitrantur, damnum animæ incomparabile accipiunt, Matth. 16.  $\psi$ . 26. Idem accidit *servienti Laban*, Gen. 31.  $\psi$ . 41. seq.

4. *Servus stultissima*. Ad tempus servire, æternum cruciari, mori. Piscis semel ictus sapit; canis percussus odio habet percipientem. Avis in eandem non regreditur pedicas. Cur ergo & nos non fugeremus

Satanam, à quo icti, percussi? Qui semel læsit, Rom. 5. *ψ.* 15. Sap. 2. *ψ.* 24. ei rursus servire!

3. *Turpissima*. 1. Stephanus Bathor, rex Poloniae, audiens Tartarorum nefandam malitiam: Nolo (dixit) istius bestiae amplius tributarius esse. Omne Tarquiniorum genus urbe eiecerunt Romani. Ita nos peccatum: neut leo rugiens nos comprehendat, Syrach. 27. *ψ.* 11.

2. Nonne turpe est creatorem relinquere, redemptorem, sanctificatorem? At servi peccati relinquunt, Jer. 2. *ψ.* 13.

6. *Sævissima*: semper enim servire cogit servos suos aut obstinatâ concupiscentiâ, aut malis gestibus, verbis, factis, aut malâ conscientiâ. Hinc impii sunt sicut mare, Esa. 57. *ψ.* 20. Non habent pacem, terrentur à folio Lev. 26. *ψ.* 36.

### PECCATI FINIS ATTENDENDUS.

269. *Caudam serpentis Moses contrectare iussus est*, Exod. 4. *ψ.* 4. Peccatum est serpens: Serpsit enim in totam naturam humanæ speciei, Rom. 5. *ψ.* 12. in qua per affectus, per gestus, verba, actiones serpsit longius latiusque, totam naturam infecit, serpentes igneos procuravit, Num. 21. *ψ.* 6. Et mordet velut serpens, Syr. 21. *ψ.* 2. Hujus vero cauda solùm atrectanda est, hic ultimus exitus contemplandus, Rom. 6. *ψ.* 23. *Hanc peccati caudam non attendit antediluvianus mundus*, Gen. 6. *ψ.* 12. Conf. Rom. 6. v. 21. Syrach. 7. *ψ.* 40. 2. Cor. 11. *ψ.* 15. Phil. 3. *ψ.* 19. 2. Thess. 2. *ψ.* 9. 1. Pet. 4. *ψ.* 17.

### PECCATORES EXCÆCANTUR à Diabolo.

270. *Simson in sinu Delilæ quiescens, capitur, oculis pri-*

*privatur, vel ad molam damnatur.* Jud. 16. *ψ.* 21. Talis est peccator, qui ad tempus in sinu mundi & voluptatum tanquam Delilæ quiescit: Tandem verò capitur laqueis Diaboli, 2. Tim. 2. ult. excæcatur, & in infernale pistrinum deditur, ubi *mola inferior est mens* & conscientia, *mola superior vindex Dei ira*, Apoc. 14. *ψ.* 11. Esa. 66. *ψ.* 24. Psal. 49. v. 15.

## PECCATORES CÆCI SUNT

impœnitentes.

271. *Dives epulo cæcus & surdus fuit, dum ventri litavit: At nimis serò oculos aperuit in inferno.* Luc. 16. v. 23. Ita impœnitentes Moïsen & Prophetas fastidiunt, *cæci sunt*, qui in tenebris ambulant, & sic in locum tendunt infernalem, ubi tandem nimis serò aperiunt oculos. Hæc est impiorum infelix vicissitudo, ut in hac vita videntes non videant, in alterâ non videntes videant. Ergo in luce hîc ambulemus, ne cæci fimus, Joh. 9. v. 39. 2. Petr. 1. v. 9.

## PECCATA HOMINEM IMPURUM REDDUNT.

272. *Tangens morticinium immundus dicebatur in lege*, Lev. 11. v. 24. Sic per peccatum contaminamur, & immundi reddimur, adeò ut justitia nostra sit sicut pannus menstruatæ mulieris, Esa. 64. v. 6. Ezech. 36. v. 17. Mortificemus ergò peccatum, Rom. 8. v. 13. & membra nostra super terram, Col. 3. v. 5.

## PECCATI CONSEQUENS

ignominia.

273. Rom. 6. v. 21. *Quem fructum habuistis in peccatis, tunc, in quibus nunc erubescitis.* Ergò ignominia peccatum consequitur.

1. *In ipso peccato, quod turpitudinem prodit, cum à norma legis discedit*, 1. Joh. 3. v. 4.

L 5

2. *Ita*

2. *In conscientia peccantis*, ubi cogitationes accusantes, Rom. 2. v. 15. Post conversionem: Exemplo filii perditum; *non sum dignus vocari filium*, clamantis, Luc. 15. vers. 19.

3. *Coram piis*, peccata nostra videntibus.

4. *Coram Deo*.

5. *Angelis*.

6. *In iudicio extremo*, in quo tanta impiorum ignominia, ut malint obrui montibus, quàm reddere turpium factorum rationem, Apoc. 6. vers. 16. Confer. Phil. 3. vers. 19.

### PECCATA PUDORE

afficiunt.

274. Esa. 1. v. 29. *Erubescetis ob hortos, quos elegistis*: Horti peccatorum & malæ concupiscentiæ sunt, qui pudorem incutiunt, coram Deo, cui peccavimus, coram Angelis & piis, quos offendimus, & scandalizavimus, Rom. 6. v. 21. Phil. 3. v. 9. Pudori nullus locus erat in statu institutionis, Genes. 2. vers. 25. maximus in statu destitutionis. Exemplum. Num. 12. v. 14. Efr. 9. v. 6. Ezech. 16. vers. 61. & 63. cap. 43. vers. 10. Hi sunt horti sine aqua. Esa. 1. vers. 30. devastati. Thren. 2. vers. 6.

### PECCATA FACIUNT HOMI-

nem abominabilem.

275. Ezech. 8. v. 10. *Propheta vidit reptilia in templo Domini, qua divino cultu affecerunt homines*. Peccata & pravæ cupiditates, mater & filia, sunt ejusmodi reptilia, quæ in templa cordium nostrorum paulatim irrepunt, & non nisi ad terrena prorepunt, Phil. 3. v. 19. quæque adoramus, cum ea magis quàm ipsum Deum diligimus. Hinc avaritia est idololatria Apostolo, Eph. 5. v. 5.

PEC-

## PECCATI EFFECTUS.

276. Job. 15. v. 16. *Ut qui in aquis suffocantur, impleantur aquâ, & ita penitus obruuntur*: Ita peccator perditione velut aquâ obruitur, maledictio intrat in illum velut aqua, Psal. 109. v. 18. Hæc est aqua amara & maledicta, Num. 5. v. 18. sub quâ etiam fortes angustia afficiuntur, Job. 26. v. 5.

## PECCATI EFFECTUS DEI

templum violare.

277. 1. Cor. 3. v. 17. *Qui scortatur in proprium corpus, peccat & templum Dei violat*. Peccator spiritualis est scortator, qui templum Domini violat, quando peccatis Dominum contristat, Eph. 4. v. 30. cum ejicit (hinc querelæ, Jud. 2. v. 19. Gen. 6. v. 11. Hof. 9. v. 9.) & sic templum Dei violat.

## PECCATORES DEUS

non novit.

278. *Post perpetratum peccatum Deus Adamo dicebat: Adam ubi es? ut significaret, se gratiosè non nosse prævaricantes*, Gen. 3. v. 9. nunquam enim novit eos, Matth. 7. v. 23. Psal. 1. v. 5. Luc. 13. v. 27. gratia suâ, quia opera & corda eorum novit in justitia, Ezech. 11. v. 5. Luc. 16. v. 15. Omnes enim ipse novit, Joh. 2. v. 24.

## PECCATA IN INFERNUM

detrahunt.

279. *Currus Pharaonis aversi, inque mari submersi sunt cum Domino*, Exod. 14. v. 25. 28. Ita peccatum evertit peccantem, præcipitem agit in mare damnationis perpetuæ, vel locum ardentem sulphure, Apoc. 19. v. 20.

## PECCATORUM TRIA GENERA.

280. 1. *Suggestione peccantium*, qui præfigurantur

tur

tur per mortuum in domo, quem Christus suscitavit, Matth. 9. v. 23.

2. *Perpetratione ipsa*, qui per mortuum jam portatum extra portas significantur, Luc. 7. v. 12.

3. *Consuetudine & habitu*, qui per Lazarum mortuum quatruiduanum indigitantur, Joh. 11. v. 12.

### PECCATORUM IN SATANÆ

manus traditio.

281. *Potestatem ingrediendi porcos demonibus* Christus dedit Matth. 8. v. 32. Ita peccatores pertinaces Satanas ingreditur permissu Christi, Luc. 11. v. 25. Hi porci sunt, Matth. 7. v. 6. 2. Petr. 2. v. 22.

### PECCATIS SPIRITUS SANCTUS

abigitur.

282. *Ezech. 8. v. 6. Domus Israel facit abominaciones, quibus à sanctuario Jehova recedere compellitur.* Abominaciones hæ sunt peccata, Job. 15. v. 16. quibus Spiritus Sanctus tristitiâ afficitur Eph. 4. v. 30. ejusque dominium excutitur, Gen. 6. v. 3. quo factò, sanctuario suo Spiritus Sanctus egreditur, imparus spiritus ingreditur, Luc. 11. v. 25. Væ autem illis, à quibus Dominus recessit, Ose. 9. v. 12. Caveamus ergo nobis à peccatis contra conscientiam.

### PECCATA VENIALIA.

283. *Discipulorum pedes Christus lavit mox abiturus*, Joh. 23. v. 5. Indicans, licet loti & mundati simus, 1. Cor. 6. v. 11. 1. Joh. 1. v. 9. Apoc. 1. v. 5. Tamen semper lavanda esse peccata in hærentia, & quotidie ingeminandum: *Amplius lava me ab iniquitate* Psal. 51. v. 4. *Hostes Israelitarum in mari suffocabantur, remanebant in eremo hostes*: Ita peccatum originale, quoad reatum, in baptismo tollitur: in mundi eremo peccata venialia, ut hostes, supersunt,

PEC-

## PECCATI CONSORTIUM.

284. *Tactus immundi aut occisi bestia*, Lev. 5. v. 2. cap. 7. v. 19. *aut cadaveris prohibitus est.* Quo indicatur, peccati omnem communicationem cavendam esse; Psal. 26. v. 4. Psal. 50. v. 18. 1. Cor. 10. v. 20. Eph. 5. v. 11. 2. Cor. 6. v. 14. Esa. 5. v. 18. Fugiens hanc communicationem, lucis verâ gaudet communicatione, in quâ tenebræ non sunt, 1. Joh. 1. v. 8.

## PECCATI SUGGESTIO

ejicienda.

285. *Vestem in manu adulteræ Josephus reliquit*, Gen. 39. v. 13. Prima peccati suggestio in primo partu velut enecanda, ne concipiat & pariat: peccatum autem mortem, Jac. 1. v. 15.

## PECCATA NON NEGANDA.

286. *Sapphira tentans Spiritum Dominum & peccatum confiteri nolens, cecidit ante pedes Petri, animamque efflavit*, Act. 5. v. 9. Tales sunt negatores peccatorum, Spiritum Dominum tentantes, omnia perscrutantem, 1. Cor. 2. v. 10. omnipræsentissimum, Psal. 139. v. 7. Am. 9. v. 2. Quodcum faciunt, de peccato in peccatum præcipientes aguntur, donec spiritali morte intereant.

## PECCATA NON EXCU-

sanda.

287. *Adam post commissum peccatum ex ficuum foliis perizoma sibi consuebat, quo peccati turpitudinem tegeret*, Gen. 3. v. 7.

*Detraxit illud Dominus, nec iudicium ipsius effugere potuit*, Genes. 3. vers. 12. *Nuditas apparuit, vestes pelliceas tamen aptavit, quibus se tegeret:* Ita comparata est hominum natura, ut peccatum tegere malint, quod tamen non, nisi, Christi vestibus, tegitur, Ezech.

Ezech. 16. v. 8. Agnoscamus igitur delicta nostra, Psal. 32. v. 5. Psal. 106. v. 6. & confiteamur eadem, 1. Joh. 2. v. 9. Iniquitates enim nostras nobis ob oculos ponet Deus, Psal. 50. v. 21. nemo easdem occultare potest, Jerem. 23. v. 23. Oculi ejus lucidiores sole, Sir. 23. v. 28.

## PECCATA NON PALLIANDA.

288. Gen. 3. v. 7. *Folia ficus consuebant* protoplasti. Sic peccatores frustra crimina palliant. Folia sunt, quæ facile dissipat ventus. Dominus enim implet omnia, Jer. 23. v. 23. Sir. 23. v. 28. Psal. 139. v. 7. 8. Confiteamur igitur Domino peccata nostra, Psal. 32. v. 5. Psal. 106. v. 6. Ita fidelis est & ignoscet, 1. Joh. 1. v. 9.

## PECCATUM EST EXSTIRPANDUM

per cinesactionem.

289. *Vitulum aureum in pulverem contrivit*, Exod. 32. v. 20. *Moses*: Peccatum & mala concupiscentia est aureus ille vitulus, cui in deserto mundi servire inducimur, Rom. 7. v. 15. Idem tamen in pulverem redigendus est, quod fiet in corporum nostrorum cinesactione, cujus beneficio radix illa concupiscentiæ malæ planè averruncabitur, 1. Cor. 15. v. penult.

## PECCATA NOS CIRCUMDANT.

290. *Circumdabunt inimici tui*, Luc. 19. v. 43. *vallo, obsidione cingent, & undique angustiis afficient*. Ad literam de Romanis vastantibus politiam Judaicam. Allegoricè

## PECCATUM

291. *Inimicus & hostis est ille*, à cujus manu nos Christus liberavit, Luc. 1. v. 71. & 74. quodque Deum hostem

hostem nostrum facit, Jac. 4.  $\psi$ . 4. Col. 1.  $\psi$ . 21. *Pec-  
catum est avis inimica in infernum detrudenda.* Apoc.  
18.  $\psi$ . 2. *Ob causam.* Psal. 5.  $\psi$ . 6. indigitatam.

2. Hic inimicus circumdat nos *vallò mala conscien-  
tia, obsidione legis fulminantis, Satanae jacula mittentis,*  
judicii flammam subministrantis, mortis aculeum osten-  
dentis, 1. Cor. 15.  $\psi$ . 55. nos cingit.

3. Undique nos angustiis afficit, *supra iratum Deum,*  
*infra patentem infernum, intra conscientiam arguen-*  
*tem, ante, post,* dextrorsum, sinistrorsum ostendit inimi-  
cos accusantes; de his angustiis Job. 30.  $\psi$ . 16. Psal. 25.  
 $\psi$ . 17. Psal. 116.  $\psi$ . 3. Esa. 21.  $\psi$ . 3.

PECCATOR SIMILIS  
hydropico.

292. *Ob perpetuam,* quâ laborant hydropici, *sitim:*  
Ita quoque peccatores perpetuâ laborant cupiditatum  
siti, quæ adversus animam pugnant, Gal. 5.  $\psi$ . 17. ho-  
mines captivant, Rom. 9.  $\psi$ . 14. Esa. 50.  $\psi$ . 1. 2.

2. *Ob sitim in inferno tolerandam,* quam expertus  
epulo, Luc. 16.  $\psi$ . 24. sitis illa tristissima erit, longè  
major illâ Hajaris, Gen. 21.  $\psi$ . 15. seq. aut Tantalii, ut est  
in fabulis.

3. *Ob corporis totius repletionem.* In hydrope mate-  
ria exuberans omnia membra tumore replet. Tumor  
peccati dominium in membris, de quo Rom. 6.  $\psi$ . 12.  
notat pectoris ingenitum illud supercilium, exemplò  
Pharisæi, Luc. 18.  $\psi$ . 11. 12.

4. *Ob effectorum consimilium rationem.* Hydrops  
facit obliviosos, pigros, tardos: Peccatum dominans  
facit oblivisci Dei mandatorumque ejus, temporalium  
nocivam imprimens memoriam; tardos pigrosque in  
decurrenda Domini via facit.

PE C-

PECCATUM EST FEBRIS SPIRITUALIS, Matth. 8. in foco Petri.

293. *In qua ignis & calor male conscientia, legis, peccati, iræ Dei in corde tandem accenditur, exalta peccatorum periodô.* Quam deinde frigiditas extincti amoris Dei, proximi, insequitur, quemadmodum in febribus contrariarum qualitatum est pugna.

PECCATUM EST PARALYSIS.

294. *Spiritualis, totum corpus occupans, motus spirituales omnes impediens, sensum gratiæ divinæ tollens, quæ ad penitentiam homines invitat. Sicuti paralyfis corporalis corpus occupat, motum impedit, sensum tollit, medicis testibus.*

PECCATORES SUNT SERVI  
inutiles, quia horum illi vitia imitantur,

Luc. 10. v. 17.

295. 1. *Ob Ebrietatem, cui servi inutiles dediti. Ita peccatores ebrii sunt mundi delitiis, carnis nequitiis, Sathanæ laqueis, 2. Tim. 2. v. ult.*

2. *Temporis perditionem, quod otio transigit servus inutilis: Tempus gratiæ negligit peccator. Luc. 19. vers. 42. Quæ ad pacem tuam! 2. Cor. 6. v. 2. diem salutis negligit; in foro hujus mundi stat otiosus, non laborans in vinea animæ suæ, ut Christi palmes, præeunte Sp. sancto fieret, Joh. 15. v. 1. seq.*

3. *Bonorum dilapidationem, Matth. 18. v. 25. Luc. 16. v. 1. Ita peccator bona Dei dissipat, verbum, sacramenta, bonum animæ propriæ æternum, bonum gloriæ Dei, cui omnia consecranda fuerant, 1. Cor. 10. v. 31.*

4. *Somnolentiam, quæ servorum inutilium propria. In peccatis stertit peccator, diem negligit, Rom. 13. v. 11. cum 5. virginibus stultis, Matth. 25. v. 11. Confer. 2. Cor. 6. v. 2. Psal. 95. v. 8.*

5. Su-

5. *Superbiam & proteruitatem*, quâ se vel supra Dominum effert: Ita peccatores legem Dei contemnendo, Deum contemnunt, 1. Sam. 2. vers. 30. Alium verò contemnens, alii se præfert.

6. *Bonorum Domini in proprium usum versionem*: Sic Giezia. 2. Reg. 5. vers. 20. seq. In usum proprium dona Dei convertuntur, cum Dei gloria in omnibus non quæritur.

7. *Ob fugam, cum à Domino corripitur*. Ita peccatores à Deo correpti cruce & calamitatibus fugiunt à Deo, cum non animadvertunt, à quo percutiuntur: Amos. 4. v. 7. 9. 10.

## PECCATORES SUNT PUERI

& instar puerorum, Esa. 65,  
vers. 20.

296. 1. Curant *presentia*, non futura, terrena, non cœlestia Phil. 3. v. 19.

2. *Vana* & non spiritualia, Rom. 1. v. 21. *Vani facti sunt*.

3. *Minima*, non magna: Mundana accipiunt, animæ jacturam faciunt. Matth. 16. v. 26.

4. *Noxia*, non utilia.

5. *Pomum amissum*, non patrimonium perditum, cœli.

6. *Omniamanibus affectant*, visui objecta, 1. Joh. 2. v. 16. concupiscunt eodem modo peccatores.

7. *Sibi similia consilia*, hoc est, puerilia amant. Conf. Luc. 14. v. 28.

8. *Luto protervus se maculant*: Ita peccatores, 2. Pet. 2. vers. 22.

## PECCATUM EST ANIMÆ

vulnus.

297. 1. *Conscientiam vulnerans*. Gen. 4. v. 23.

M

2. San-

2. *Sanguines culpæ* protuberans, Esa. i. v. 23. Pfal. 51. v. 5. Joh. 9. v. 17. hoc est, culpas sanguineas.

3. *Vulnera* multiplicans. Job. 16. v. 14. animâ namq; vulneratâ omnes partes vulnerantur.

4. *Fœtans*. Pfal. 38. v. 6. coram Deo, angelis, ipso peccatore.

5. *Purulentum*. Pfal. cod. 7. 6.

6. *Non curatum*. Esa. i. v. 6. nunquam curandum, nisi per manus salvificas Samaritani cœlestis illius, Luc. 10. v. 34.

7. *Periculosissimum*. Jer. 15. v. 18. Hæc vulnera solus Christus curat, Luc. 10. v. 34. Esa. 53. v. 5. Hujus sanguis est *verum unguentum*. Jer. 51. v. 8. *alleg. Tollite resinam ad dolorem ejus, si forte sanetur.*

#### PECCATUM EST IGNIS.

298. Pl. 102. v. 4. *Ossa mea, sicut cremium aruerunt.* Ergo peccatum est ignis

1. *Infernalis* in conscientia, quæ condemnat peccatorem, Rom 2. v. 25. 1. Joh. 3. v. 20.

2. *Sulphureus* ignis in facie, & naribus Dei, fœtens, Pfal. 38. v. 6.

3. *Fulgureus* in tentationibus, quando peccata fulguris Dei ostendunt, hominem terrent, Pfal. 18. v. 5.

4. *Ardens*, torrefaciens, exsiccans, Pfal. 32. v. 4. Pfal. 102. v. 4.

#### PECCATUM EST NUBES.

299. *Deleo, sicut nubem, peccata tua: vox Domini,* Esa. 44. v. 22. Peccatum ergo nubes

1. *Ob vacantem*. Nubes magnum videtur corpus; attamen vacuum: Ita peccatum, omni fructu bono vacuum.

2. *Ob materiam* nubis, quæ vapores crassi. Suggestio, delectatio, assensus, concupiscentiæ malæ, vapo-

vapores, peccati materiam ingredientes, Jacob. 1. v. 14. 15.

3. *Ob solis obscurationem.* Nubes solem eripit. Eripit solem justitiæ peccatum. Esa. 59. v. 2. *peccata dividerunt inter nos & Deum.*

4. *Ob agitationem* per ventos. Nubes ventis agitur, Peccator à vento hujus mundi agitur: Hic ventus est mundi vanitas, Eccl. 1. v. 2.

## PECCATUM EST SERPENS

ignitus, mordens in inferno & mundi eremo.

309. 1. *Serpens.* Applicatio comparat. ex cap. 4. ubi Diabolus serpens dictus, allegor. 214.

2. *Ignitus* est serpens peccatura: quia est ignis. Conf. sup. all. 298.

3. *In mundi eremo* his serpentibus ignitis divexamur, ob inobedientiam, Rom. 5. v. 12. *Christum intueamur*, ne mordeat in inferno serpens iste, Joh. 3. v. 14.

## PECCATUM EST LICTOR.

301. Psal. 40. v. 13. *Comprehenderunt me peccata mea.* Peccatum ergo lictor est, fugientem peccatorem ligans *vinculis mala conscientie*, & ad judicium Dei *pertrahens*, ubi *nihil videt*, quia tenebræ ibi exteriores, Matth. 8. v. 12. & inferni terrores, Psalm. 18. v. 5. conscientie horrores, Esa. 66. v. 24. Apocal. 6. vers. 16. Hunc lictorem nemo effugiet, qui se ejus vinculis constringi patietur, 2. Timoth. 2. v. ult. *Zidekias in planitie campi* comprehensus est, fugâ sibi consulturus, 2. Reg. 25. v. 5. *Planities* illa in morte & judicio apparebit, ubi nullum erit latibulum, omnibus Deo patentibus, Apoc. 6. v. 16. ubi *Jericho hujus mundi* destruetur per Domini tubam, 1. Theff. 4. v. 16. *Caveamus itaque* nobis à peccato, *viam vitæ* apprehendamus,

M 2

damus,

damus, Prov. 2. v. 9. 1. Cor. 9. v. 24. Phil. 3. v. 12. lictorem hunc fugiamus, peccatum scilicet. Confugiamus ad Christum, pro nobis ligatum: *Domine, abige lictorem culpæ nostræ!* qui nobis es fons justitiæ, 1. Cor. 1. v. 30.

### PECCATUM EST ACCUSATIO

& stimulus in corde.

302. Esa. 59. v. 12. *Iniquitates nostræ responderunt nobis, cognovimus illas.* Peccatum ergò nos *accusat*, nobis excusantibus *respondet*, inculcat, & quidem ita, ut nullus nostræ responsioni sit locus, Job. 9. v. 13. 14. 15. ut cor nostrum nos condemnet, 1. Joh. 3. v. 20. contra nos instar *advocatorum* exoptulet. Hæc dica piis cum scribitur, sæpè Deigratiosam responsionem prætolantur, Cant. 5. v. 6. Psal. 22. v. 3.

*Cognoscimus* has iniquitates, cum eas realiter *sentimus*, instar jaculorum cordi infixorum, de quibus Psal. 38. v. 3. gratiæ verò divinæ motum *non persentiscimus*, ut in typo monstratum, 2. Reg. 4. v. 31. mortui illius pueri, sed *errorem tenebrarum*, Job. 2. v. 17. Corde enim turbato maledictio Dei sentitur, Thren. 3. v. 65. & vulnera illa peccati, Ose. 5. v. 13. Sap. 11. v. 14.

Medelam verò sentimus huic morbo afferri, cum Christus eum sanat potentiâ suâ vivificante, ut *in typo* monstratum, Marc. 5. v. 29. 30. Peccatum enim verè *sanguinis profusivum*, cui mederi, præter unicum medicum, nullus potuit medicus; Extra hunc infumes omnes thesauros, Exod. 15. v. ult. Esa. 63. v. 1.

### PECCATUM OMNE BONUM

à nobis avertit.

303. Jer. 5. v. 25. *Ventus enim est pluviam serotinam & matutinam gratiæ divinæ (Vide, Gratia Dei est pluvia) à nobis avertens: allegor. ex vers. 24. d. l.*

Hæc

Hâc pluvia impedita, nulla salutarium frugum messis consequitur.

## PECCATUM EST DEBITUM.

304. Horum spectant phrasés, *remittere, delere, imputare, expungere*. Directè quoque debitum appellatur, Matth. 6. v. 12. cap. 18. v. 27.

1. *Chirographum* est lex, Col. 2. v. 29. flagitans à nobis hoc debitum ipsa conscientia & cor, Rom. 2. v. 15. 16. Conf. 1. Joh. 3. v. 20. *chirographum* est, confitens hoc debitum.

2. *Moses est exactor*. Legis enim debitores sumus, Joh. 5. v. 46.

3. *Carcer* debitorum est infernus, tortor Diabolus, Matth. 5. v. 25.

4. *Hypotheca*, pignus ipsum corpus & anima. Peccatores enim impœnitentes, quâ corpus & animam perduntur, Matth. 10. v. 28.

5. *Debitores* sunt omnes homines. Huc spectant omnes expiationes in Levit. Matth. 6. v. 12. & cap. 18. Psalm. 69. v. 9. Esa. 9. v. 6. 7. Jerem. 2. v. 19. Ose. 5. v. 15, cap. 10. v. 2.

6. *Remissio* à solo Deo fit, Luc. 7. v. 41, propter solum Christum, in quò nulla culpa, Joh. 19. v. 6. à quo solum auxilium nostrum, premente nos creditore, *ut typ. 2. Reg. 4. v. 1.* solus monstrans redimendi medium & instrumentum (*συνεργός* consideratum in Christo scilicet) sacrum fidei oleum, quod multiplicatur Spiritus Sancti virtute, Joh. 4. v. 14. c. 7. v. 38. ut manet in vitam æternam, legi æs alienum exsolvat, quæ alias nos æternum in *pistrinum inferni* dedisset.

7. Remissionis huius *typus* in agno expiatorio, Lev. 14. v. 12. Esa. 53. v. 10. Ex hoc agno expiatorio anima nostra vivit, ut alleg. Ezech. 44. v. 29.

M 3

PEC-

## PECCATUM EST FURENS

bestia.

305. Rom. 7. v. 5. *Furor peccato, παθήματα attri-  
buntur, quæ velut rabies. Vox enim Græca est gene-  
ralis. Imò peccatum est Tyrannus furens, Esa. 25 v. 4.  
procreans furorem Domini, Num. 14. v. 46. furorem  
serpentis tartarci, furorem aquarum tentationis,  
quas nemo, nisi in Jeſu ſonâ, hoc est, Christo, Jonæ 1. v. 15.  
ſedaverit.*

## EST CAPTIVITAS,

venundatio.

306. *E quâ liberari petimus, ingemiscimus, Rom. 7.  
v. penult. Pfal. 130. v. 8. Rom. 7. v. 14. venundatio, 15. ut  
ſervi. Conf. Esa. 50. v. 1. 2. Mich. 7. v. 13. Huc ſpectant  
phraſes de ſervitute peccati veri Achabi venundati ad  
malum, ut, 1. Reg. 21. v. 22. nos omnes fumus.*

## CHIROGRAPHUM.

307. Col. 2. v. 14. Hoc Chriſtus obſignavit, ne ape-  
riatur, Dan. 9. v. 10. expunxit, ne legatur, Actor. 3. v. 15,  
ſalutari baptiſmatis aquâ obliteravit, ne cognoscatur,  
Eph. 5. v. 25.

## CANIS ANTE JANUAM.

308. Gen. 4. v. 7. *Si male egeris, peccatum tuum ſta-  
tim in foribus aderit. Peccatum ergo*

1. *Cubans nonnunquam humi, cum peccatum ſe  
ſuggerit, Jac. 1. v. 14.*

2. *Surgens, cum delectatur.*

3. *Latrans, cum homo aſſenſum præbet peccato.*

4. *Mordens & vulnerans, cum peccatum exper-  
ſcitur. Vid. Orat. Manaff.*

## DOMINUS INCOLENS,

309. *Hinc toties hominem inhabitare dicitur: In-  
felix*

felix inhabitatio, pessimos inhabitationis socios afferens, Diabolum conscientiaæ terrorem. Rom. 7. v. 17. scq. *Nihil boni in me!*

## EXILIUM ANIMÆ.

310. *Errabo vagus à conspectu tuo*, Genes. 4. v. 14. vox fratricidæ. Partes hæc fortis peccatorum: à facie Domini reiecti sunt, & latroni infernali semper expositi. *Quisquis invenerit me occidet*, dicebat Cain. Inventor ille Satanas est, Luc. 11. v. 25.

## FAMES ANIMÆ.

311. *Quà contabescimus*. Esa. 64. v. 7. Ezech. 24. v. 23. Caret namque peccator spirituali nutrimento, unde tabes consequitur,

1. *In oculis*, quos elevare non audent ad iratum iudicem, Deut. 28. v. 65.

2. *Ob calorem legis & ignem*, quò premitur peccator, tartareo Labano serviens, Gen. 31. v. 40. allegor.

3. *In ossibus*, Psal. 32. v. 8. Psal. 39. v. 12. Thren. 4. v. 17. Ad Christum ergò curre, invitantem ad sacra cibaria Esa. 55. v. 1. 2. miserantem, Marc. 8. v. 2.

## PECCATUM EST FONNS

omnis mali & venenatus.

312. Prov. 14. v. 34. Conf. Ose. 13. v. 9. Fons venenatus omnes rivulos inficiens, Jer. 6. v. 7. qui rivuli? omnes hominis partes, & omnes partis partes: Summa: Totus homo, Rom. 7. v. 17. Esa. 1. v. 5.

2. Quis venenatum hunc peccati fontem effodit? Adam.

3. Quis ex eo bibit? Adam.

4. Quis omnibus hominibus ex eo fonte propinavit? Adam.

## FRAUDULENTA RES.

313. Heb. 3. v. 13. *fraude Satanae in viela* Gen. 3. v. 13.

fraus ipsam animam lædens & corrumpens. *Peccatum* est *amicus* ille fallens, de quo Thren. 1. v. 19. abscondendus ille *pes manus*. Matth. 5. v. 30. *Vinum fallens* spiritualiter, Hab. 3. v. 5. *Somnium decipiens*, Syr. 34. v. 7. Peccatum enim merum & verum *somnium est*, quò luderis, nihil habens expergefactus, præter suavis phantasiæ titillationem, Rom. 7. vers. 11. Galat. 6. v. 3. Peccatum est fraudulentum *Bel simulacrum*, quod homines stulti & miseri venerantur.

## HOSTIS.

314. Rom. 7. v. penult. *Miser ego homo! quis me eripiet de corpore mortis hujus.* Eripi vult Paulus: Ergò ab hoste; quis ille? Peccatum. *Quo cum nobis semper pugnandum est*, Hebr. 12. vers. 4. Peccatum autem est hostis

1. *Ob originem*, quem debet omnium nostrum hosti, Diabolo, Sap. 2. v. 24. Hic hostis teterrimum zizanon, dormientibus protoplastis, sevit, Matth. 13. v. 25. *allegor.*

2. *Ob hostiles affectus & effectus*, quales sunt; *odium occultatum, blandina nocivæ, insultus, impetus, oppugnatione*: Peccatum enim odium nostri occultat, vid. supra alleg. de Amnone & Thamare, in nostrum incommodum blanditur, conceptum gignit mortem, Jac. 1. v. 15. Varios habet insultus, partim per concupiscentiam innatam, partim per scandala mundi; nihil tamen præter oppugnationem & captivitatem nostri machinatur, Rom. 7. v. 23. 1. Reg. 21. v. 23. 1. Reg. 21. v. 21.

3. *Ob pugnam perpetuam*. Militat semper contra nos peccatum, in membris contra animam, 1. Pet. 2. vers. 11. Jacob. 4. v. 1. Gal. 5. v. 17. Rom. 7. v. 23. Spiritus contra peccatum militat. Intestinos hostes hocce capit re-nati pectoris civitas.

Hic

Hic palmam affectemus casti certaminis, Sap. 4. v. 2. ne anima nostra impuros peccati foetus pariat: alleg. Ita fiet, ut olim portas inimicorum nostrorum possideamus, Gen. 22. v. 17. extirpatô peccatô, 1. Cor. 15. v. 55. morte, Satana.

4. *Ob intentatam hostium ejectionem activam.* Peccatum hostis, cœli hæreditate homines ejicit. 1. Cor. 6. v. 10. ejicit & sæpè Spiritum sanctum, eidem ponendo obicem. Actor. 7. v. 51.

5. *Ob duram captivitatem,* quâ premere hostes solent: Ita & peccatum. Rom. 7. v. 23. *In hujus terrore deficimus,* alleg. Lev. 26. vers. 39. Conf. Peccatum est fames.

6. *Ob servitutem duram:* Hâc & peccatum premit. Rom. 6. v. 17. seq. Joh. 8. v. 34. 35.

Hic hostis evigilat tandem. Thren. 1. v. 14. per coniciones Dei reales & plagas, at somnô securitatis antè sepultus.

## PECCATUM EST LATRO.

315. *Incidit in latrones egressus homo de Jerusalem in Jericho,* Luc. 10. v. 30. Peccatum est verè latro

1. *Vulnerando.* Vid. Peccatum est vulnus. Vulnerat enim ob peccatum. Syr. 38. vers. 15. animam tacitis ictibus & cogitationibus, Rom. 2. v. 15.

2. *Exspoliando,* scilicet justitiam. Peccator namque peccans mox exspoliatur justitiâ.

3. *Occidendo,* corpus & animam.

4. *Relinquendo,* peccatorem mortuum. Peccans enim peccatô moritur, in casu scilicet *ablativo* (Moriuntur & justi peccato, sed in casu *Dativo*, Rom. 6. v. 2.) Eph. 2. vers. 5. Coloss. 2. v. 13. Rom. 6. v. 13. sed hoc obiter.

2. *Vias observando,* Vias omnes affectuum, cogi-

tationum, dictorum, factorum, observat peccatum, ut irreat, Jac. i.  $\psi$ . 15.

3. *Ex improvise aggrediendo.* Ita quoque peccatum, ubi minimè caveris, ut hostis irruit. Ex improvise peccatum aggressum est Davidem, eumque præcipitavit in adulterium. 2. Sam. II. v. 2. 4. Petrum in abnegationem, Matth. 26. v. penult. Fratres Josephi in illiusdem venditionem. Gen. 37.  $\psi$ . 26.

4. *Speluncam inhabitando.* Peccati spelunca est mundus, in quo latrocinia exercet princeps mundi & mundus, per peccatum mercem inferens, Jac. i.  $\psi$ . 15.

PECCATUM EST INTERSTITIUM,  
divisio inter Deum & homines.

316. Esa. 59.  $\psi$ . 2. Deus enim lux, peccatum tenebræ. Lux & tenebræ distinctissimæ, Genes. I.  $\psi$ . 4. Mors divisionem amicorum efficit, Ruth. I. vers. 17. Mors autem peccati consequens, Rom. 6. 1. Cor. 15. v. 56. Hanc spiritualem inter nos Deumque divisionem per ministros Deus notam facit, rationi ignotam. Confer. Jerem. 6.  $\psi$ . 29. Homines enim sunt *impurum argentum per peccatum*, d. I. Jerem.

EST LEO COMPRE-  
hendens.

317. Syr. 27. v. II. 1. *Ob occultationem.* Psal. 10.  $\psi$ . 9. Ita peccatum in mundi spelunca occultatur.

2. *Ob sevitiã leonis:* Ita peccatum.

3. *Ob liberationem negatam:* quis enim unguibus leoni prædam extorserit? de peccato leone quis liberet, nisi leo de tribu Juda? Rom. 7. v. penult.

4. *Ob lanienam cruentam,* quam præda experitur: Ita peccator à peccato miserè dilaniatur. Vide Psalm. 38. per totum. Omnia hæc statum peccatoris illustrant.

PEC-

## PECCATUM QUOQUE EST

318. 1. *Mater mortis*, Jac. I. v. 15.

2. *Mensura*, infelicem pœnarum Dei mensuram in finem hominum refundens, 1. Theff. 2. v. 16. Gen. 15. v. 6. Matth. 23. v. 32. Diabolus est eam semper implens, nunquam satiabilis, inferni pater ille infatiabilis, Esa. 5. v. 14.

## PECCATUM EST PRÆCI-

pitium.

319. Psal. 69. v. 29. *Quò impij præcipitantur*. Peccatum est *mare rubrum*, in quod Pharao cum suis præcipitatus interiit, Israelitæ egressi sunt, Exod. 14. v. 25. 27. Est *petra*, de qua præcipites aguntur impœnitentes, in mare perditionis, ut sues Gergasenorum, Marc. 5. v. 13. Hoc peccati præcipitium, Christum adhærentes, effugiemus, si ex hoc mundo, perque *eius medium*, in *offenso pede ambulaverimus*. alleg. Luc. 4. v. 30.

## EST POTENTISSIMUS

Tyrannus.

320. *Celebris*, Imperii latitudine: Dominatur enim peccatum in toto mundo, Rom. 5. v. 20.

2. *Subjeclorum universalitate*, Rom. 5. v. 12. seq.

3. *Tyrannide, captivitate, servitute*. Quæ omnia Deus subigat necessum est. *Ille subigit iniquitates nostras*, Mich. 7. v. 19. gratiâ, quæ super omnes in Christo regnat, Rom. 5. v. 17. 18.

Hic peccati Tyrannus in terra *dominatur*. all. Gen. 6. v. 4. Non in cœlo. Hujus Tyranni, peccati scilicet, *furor est instar tempestatis*: peccato enim sæviante sequitur mox divina ira & tonitru conscientia.

## PECCATUM EST RETE.

321. *Quo concluduntur omnes homines*, & ad *tribunala*

*bunal Desprotrahuntur*, ex mari damnationis communi extracti, & in luce faciei divinæ collocati, Gal. 3. v. 22. Pſal. 90. v. 9.

## PECCATUM EST SERVITUS.

322. Roman. 6. verſ. 6. Ezech. 39. verſ. 24. Eſa. 50. verſ. 1.

1. *Ob originem.* Servitus eſt contra naturam, omnes libertatem adamamus: Ita & peccatum contra naturam, eam vitiat & alieno domino ſubjicit, Satanæ, concupiſcentiæ propriæ, Roman. 7. verſ. 5. Galat. 5. verſ. 17.

2. *Ob ordinem.* Matre enim ſervâ & patre ſervo, ſervi procreantur: Ita à parentibus ſpiritualiter ſervientibus, ſervi ſpirituales procreamur. Job. 14. v. 4. *Quis dabit mundum de immundo?*

3. *Ob obligationem.* Ad ſervitia quævis obſtricti ſervi: Mancipia Satanæ & peccati ſunt ſpirituales ſervi, 2. Tim. 2. v. ult. ejus retribus impliciti.

4. *Ob liberationem.* Quandoque ea ſervis contingit: Nobis Chriſti beneficio, qui nos liberavit, Joh. 8. *Ter olim manumittendus virgâ percutiebatur ſecundum Azon. IC. Servus Chriſtus virgâ noſtra eſt, quâ percutimur, ter ſanguine ejus conſpergimur, hoc eſt, perfectiſſimè, manumittimur in baptiſmo, Gal. 3. v. 27. Ex ſervitute peccati dimiſſi intelligimur, virgâ pœnitentiæ ter, contritione, fide, novâ obedientiâ percuſſi, Jer. 31. v. 18. 19. Luc. 18. v. 13.*

5. *Ob typicam præfigurationem.* Iſraelitæ in Ægypto graviſſimâ ſervitute preſſi ſunt, Exod. 1. v. 11. Genef. 15. v. 13. Mundus nobis Ægyptus eſt, in quo ſervitute, vanitatibus præſtandâ, ſervire cogimur, Rom. 8. v. 20. 22. Hâc exire ſæpè optamus, Roman. 7. v. 24. ad patriam terram aſpiramus, Phil. 3. v. 20. quia ſervitus illa

illa *vanitatum* & peccati durissima, ut Israelitarum,  
Deut. 26. v. 6. calamitofissima, Thren. I. v. 4.


## PECCATUM EST VINCULUM.

323. *Redime peccata tua Eleemofynis*: In Hebræo;  
Abrumpe, Dan. 4. v. 24. Ergò peccatum vinculum,  
quod animam ligat in inferno, ne avolet ad cœlum  
(nisi respiscat) *Mundus est injector* horum vinculo-  
rum amarorum, cujus *adultera typus*, Eccles. 7. v. 27.  
Hæc dura peccati vincula Manassem, Orat. v. 8. Da-  
videm, Psal. 38. v. 7. presserunt. Ad Christum ergò  
confugas, qui vincula tuorum peccatorum portavit,  
eaque, sicut ligna ad ardorem ignis consumi solent,  
solvit & dissipavit, ut *in typo monstratum*, Judic. 15. v. 14.  
Actor. 2. v. 24.

## VESTIS IMPURA.

324. Hebr. 12. v. 1. *Deponere eam jubemur*, Eph.  
4. v. 22. & alibi. Peccatum enim veteris & impuri ho-  
minis vestis est, vestis illa polluta carnis, Epist. Judæ  
v. 23. Lavemus itaque fidei manu vestes nostras in Chri-  
sti sanguine, Apoc. 7. v. 14. *Imò tu nos laves*  
*pietissime agne!* Joh. I. v. 29.

Apoc. I. v. 5.



CA.